



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 6. An Baptismus iterari potest?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

quàm Trinitatis personarum, quæ necessariò exprimendæ sunt. Dubiæ autem sunt hæ formæ, *in virtute*, vel *auctoritate*, vel *sub invocatione Patris*, &c. Item *in nomine Patris in nomine Filii*, & *in nomine Spiritus Sancti*. & *in nomine Genitoris*, & *Geniti* & *Procedentis ab utroque*. Imò S. Thom. 3. p. q. 66. a. 5. ad 7. docet in aliis nominibus quàm Patris & Filii, & Spiritus Sancti, non perfici Sacramentum.

Resp. IV. Non est de essentia formæ, ut exprimat *Minister* saltem expressè: nam Conc. Flor. approbat hanc Græcorum formam, *Baptizatur talis servus Christi, in nomine Patris, &c. vel Baptizatur manibus meis talis, in nomine Patris, &c.*

Q. 6. An Baptismus iterari potest?

Resp. I. Est de fide Baptisimum validè susceptum nunquam posse iterari. 1. ex Ephes. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* 2. Ex traditione & praxi Ecclesiæ. 3. Ex Symbolo, *Confiteor unum baptisma.* 4. Ex Florent. ex Trid. sess. 7. can. 11. Unde Baptismi iteratio est grave sacrilegium, tam ex parte dantis, quàm recipientis scienter, ex c. 108 & 118. de consec. dist. 4. quia fit contra institutionem Christi, applicando Sacramentum subjecto incapaci; & per hoc significatur Christum esse denuo morti ac sepulturæ obnoxium, ex Heb. 6. cum per Baptisimum commoriamur & conssepeliamur, Christo, Rom. 6.

Resp.

Resp. II. Iterari debet Baptismus sub conditione, dum post diligentem inquisitionem dubitatur an Baptismus sit datus. Constat ex S. Leone in c. 112. & 113. de consec. dist. 4. & aliis Canonibus, & ex cap. 2. de Bapt. ubi Alex. III. ait *de quibus dubium est, an Baptizati fuerint, baptizentur his verbis premissis: si Baptizatus es, non te Baptizo. Sed si nondum Baptizatus es, Ego te Baptizo, &c.* idque sive dubium sit positivum, quia scilicet sunt rationes in utramque partem probabiles: sive sit negativum: quia scilicet nulla sunt indicia ad judicandum hominem esse baptizatum, c. *Parvulos*, de consec. dist. 4. Ratio est; quia alias homo probabili periculo damnationis exponeretur, ob carentiam Baptismi. Et aliunde talis necessitas impedit omnem irreverentiam in Sacramentum, quod propter salutem hominum institutum est.

Idem dic, si sit probabile dubium an Baptismus datus sit cum sufficiente materia, vel forma, vel intentione: nam tunc æquè periclitatur salus hominis; & Canones qui expressè loquuntur de dubio facti, intelligendi etiam sunt de dubio juris, quod est hic æquivalenter dubium facti; qui enim dubitat an Baptismus sit datus cum legitima materia, vel forma, vel intentione, æquivalenter dubitat an sit verè datus. Unde S. Greg. I. 12. Ep. 31. ait. *Natalis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non*

monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur ritè peractum.

Hinc sic rebaptizandi sunt Infantes expositi si non habeant schedulam, aut aliam notam collati Baptismi testem. imò juxta multos & varia Concilia, & Rituale Tullense, etiam si habeant, si re diligenter investigatâ, nihil certi aliunde reperiat: quia illa schedula, aliave nota ab ignoto, ideòque incertæ fidei auctore apposita non sufficit ad certitudinem moralem, quam tamen requirunt Canones ad non rebaptizandum. Hinc Conc. Carthag. c. placuit, dist. 4. de consec. ait: *Placuit de infantibus quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos Baptizatos esse sine dubitatione testentur, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos.* Et verò charitas obligat ad suppeditandum proximo medium salutis necessarium, nisi constet jam adhibitum fuisse; alioqui ejus salus æterna morali periculo committeretur.

Dixi, *sub conditione*, ut vitetur periculum irreverentiæ, & reiterationis Baptismi verè suscepti.

Q. 7. An & quomodo Baptismus est necessarius?

Resp. I. Baptismus in re vel in voto necessarius est omnibus necessitate medii ad salutem, ex Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* extraditione, ex Trid. sess. 6. cap. 4. & sess. 7. can. 5. Infantibus verò extra Martyrium necessarius est in re; cum sint incapaces voti, seu desiderii